



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 241. Qualis esse debeat dictus consensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

& solutio, quæ sequitur hunc contractum emptio- nis & venditionis jam in esse constitutum, l. 2. §. 1. ff. h. t. Lauterb. loc. cit. & ad ejus nativitatem non spectat, pertinet tamen ad ejus integritatem completam seu complementum. Lell. l. 1. c. 21. du. 1. Pirh. n. 1. & sine ea non transferitur actus domini- um, sed solum manet translatus domini, quam- diu actu non traditur res, aut solvitur pretium, vel loco illius datur æquivalens. V. g. pignus vel arrha, vel fidejussor; ut Pirh. cit. num. 1. cum Tambur. l. 8. in decalog. tr. 3. c. 7. §. 1. num. 2. Quamvis tamen etiam quandoque transferatur do- minium sine reali traditione, in iis nimirum cali- bus, in quibus juris fictione res tradita censetur absque reali apprehensione possessionis; ejus exempla habentur L. qua ratione. §. interdum. Inst. de rer. divisione. L. quod uno. ff. de acquir. posses- sionibus. Quin etiam quandoque per accidens impediatur fieri translatio domini per traditionem. V. g. quia res aliena vendita est. Pirh. loc. cit. Licet autem ante oblationem pretii emptori nascatur actio, ante illam tamen nulla est illius efficacia aut exercitium, seu efficaciter in judicium deduci nequit, sed sem- per excipiendo elidi potest. Nam qui differt, quod ex contractu ultro citroque obligatorio debet, (uti ex contractu emptionis emptor debet solutionem pretii) is, quod ipsi debetur, petere efficaciter non potest. Lauterb. cit. §. 8. Wiestn. h. t. n. 8. citans Gail. l. 2. obs. 17. Brunnem. in L. Julianus. ff. de contrah. empt.

Quest. 240. An consensus ille sufficienter sit expressus per verba: volo emere, volo vendere; aut etiam per hoc, quod præcedente promissione ven- dendæ, res accepto pretio tradatur?

1. Resp. ad primum: Non convenire in hoc fati- s AA. negant enim aliqui cum MOZZIO de empt. col. 3. num. 4. per dicta verba fati s exprimi con- sensum absolutum & actualem; eo quod emere & vendere plus sit, quam velle emere, quemadmo- dum plus est ascendere in arborem, emittere pro- fessionem, quam velle ascendere, velle profiteri. E contra non ita strictè spectatâ verborum illorum significatione, sed usu communi & attentis cir- cumstantiis, fati s exinde præsumi consensum ab- solutum, qui emptionem & venditionem consti- tuit actu existere, non secus, ac dum sponsus & sponsa coram parochio, ac eo interrogati, an ve- lint se mutuo in conjuges habere, dicunt: volu- mus: consensus matrimonialis per verba de præ- sente expressus censetur, tenent cum Accurs. in L. vendemus. C. de contrah. empt. Haunold. Tom. 4. de 7. §. 7. tr. 8. n. 3. Wiestn. h. t. n. 17. Muller. h. t. ib. §. lit. 6. Quod autem ascendere plus sit quam velle ascendere, inde est, quod ascendere sit actio externa, quæ sola voluntatis declaratione, uti emptio, perfici nequit. Quod velle profiteri non sit profiteri, inde est, quod professio religiôsa præter voluntatem exposcat necessariò certam for- mam & solennitates, constitutionibus religionis aut moribus inductas, à quibus præscindendo & absolute loquendo, censeri quoque per talia verba: volo profiteri seu vovere censeri posse emissam professionem, ait Wiestner.

2. Resp. ad secundum: Etiam consensum di- ctum sufficienter declarari, & sic actu contrahi venditionem, dum quis priùs vendere promisit, dein recepto pretio rem tradit. Socin. l. 2. cons. 17.

Fachin. contrav. l. 2. c. 5. §. ego. Raht. de contrah. empt. ib. 7. num. 8. Haunold. loc. cit. n. 24. quos citat & sequitur Wiestn. n. 18. Quod ipsum quo- tidianus usus confirmat, dum à pistoribus panis certum pretium habens emitur, deponendo pre- tium & accipiendo panem, & nullo verbo dicto, abeundo, qualiter veram emptionem contrahi, ne- mo dubitat.

Quest. 241. Qualis esse debeat dictus con- sensus?

1. Resp. Præterquam quod debeat esse mutuus & simultaneus, debet esse primò verus, non simulatus, aliàs emptio dicitur imaginaria, & pro non facta habetur, l. 59. §. 55. ff. h. t. nec magis nomen contractus meretur, quam homo mortuus nomen hominis, nullisque clausulis aliàs salutari- bus valida redditur; cum quoties contractus pro- batur simulatus, constet quoque omnes clausulas esse simulatas. Arg. l. 18. ff. de jur. codicill. Faber in Cod. tit. 17. defens. 6. Lauterb. h. t. §. 116. & sic etiam, dum emptio simulatur, & sub ejus specie aliud negotium geritur, vocatur contractus ficti- tius vel simulatus ab uno ad aliud, illudque, quod simulato geritur, scilicet emptio, pro non facta habetur, l. 36. §. 38. ff. §. l. 3. C. h. t. Lauterb. §. 117. Faber. loc. cit. defens. 3. Quamvis, ut iidem, illud, quod sub specie hujusmodi emptionis agitur, eandem vim & effectum habeat, quam haberet, si apertè fieret, l. 3. §. 9. C. h. t. Ipsa verò simu- latio, cum non præsumatur, ab allegante pro- banda, nimirum per conjecturas & præsumptio- nes; cum sit difficillimæ probationis. V. g. ex pa- ctis & clausulis insolitis. Faber. loc. cit. num. 6. Lauterb. §. 118. quamdiu autem non probatur, standum contractui & instrumento, & pro iis præ- sumendum, quamvis multum in hoc relinquen- dum Judici arbitrandum ex personarum, rerum ac temporum varietate, ut iidem.

2. Secundo debet esse consensus perspicuus, hoc est, manifestatus verbis aut signis claris, non ambiguis, hoc est, quæ pluribus modis intelligi possunt, & non obscuris, hoc est, quæ nullo modo facile intelligi possunt; quæ tamen ambiguitas & obscuritas non statim reddit actum nullum, pro- cuius potius valore quam nullitate est præsumptio, l. 12. ff. de rebus dub. ac proinde, si abunde de mente & voluntate contrahentium constet, illud, quod actum potius, quam quod dictum, est atten- dendum juxta illud, l. 6. ff. h. t. in emptis & ven- ditis potius id, quod actum, quam quod dictum, se- quendum: quo non apparente, ubi verba clara sunt, iis tanquam animi characteribus inhærendum. Quin etiam ambigua vel obscura interpretationem recipiunt vel ex antecedentibus vel ex consequen- tibus, maxime ex contractus initio & illius natura, cui se conformare voluisse in dubio præsumuntur contrahentes; uti etiam ex consuetudine loci vel personæ; ita ferè Lauterb. §. 119. singula hæc textibus juris stabiliens. Quod si verò ex his & aliis obscuritas tolli nequit, faciendam esse inter- pretationem contra illum, qui verba obscura & am- bigua protulit, aut scripturam formavit, cuiusque in potestate fuit legem contractus apertius dicere vel scribere, tanquam probabilius tenent. Lauterb. §. 120. Muller. ad Struv. in ff. tit. de contrah. empt. ib. 2. lit. 8.

3. Tertio debet esse liber qualis quia non est in furioso seu carente usu rationis, emptio & ven- ditio à tali facta est nulla, l. 2. C. de contrah. empt. quali-

qualiter tamen venditio talis non destituatur omni effectu, & qualiter pro diversitate rei & emptoris de ea sentiendum, vide apud Muller. *loc. cit. th. 6. lit. a.* ubi etiam, citato pro hoc Everard. *in loc. legal. loc. 73. num. 4.* quod, si res pecunia furiosi & jam nomine proprio ematur, emptio talis valeat, & res ipsi furioso acquiratur. Secundo debet etiam esse liber à metu, intellige cadente in constantem virum. Et si enim talis metus in totum non excludat consensum, nec libertatem omnino tollat, ac proinde, etiam si contractui causam dederit, non reddat illum ipso jure nullum, *l. 1. l. 21. §. 5. ff. §. l. 3. 4. 5. C. de his que vi met. caus.* Reddit tamen illico rescindibilem, & parit restitutionem in integrum, quo datur metu probato, *cit. toto cit. ff. Muller. h. r. th. 6. lit. c.* ubi, quod Prator non habeat ratam obligationem ex metu ortam, sed restitutionem in integrum pollicetur ei, qui hoc nomine in captionem incidit, *l. 1. §. 2. de in integr. rest.* Tertio qualiter error obstat libertati, tollat consensum, reddatque contractum omnino nullum, aut vitiet ex parte, vide apud Lauterb. §. 105. & seq. & Muller. *loc. cit.* & dicenda de hoc specialiter *quæst. seq.* Quarto debet esse liber à coactione, regulariter enim nemo inivitus ad emendum aut vendendum, etiam justo pretio, cogi potest, *L. in vitium. L. in vendendis. L. dudum. C. de contrah. empt.* Sunt nihilominus casus, in quibus ad hoc compelli quis potest. Et quidem præsciendendo à casibus, in quibus hæres ex voluntate seu dispositione testatoris quandoque aliqua sibi relicta vendere tenetur; cum adeundo hæreditatem se huic voluntati subjecerit; præsciendendo etiam à casibus, in quibus quandoque condominus partem aut jus sibi competens vendere cogitur, de quo videri poterit. Muller. *loc. cit. th. 7.* subditi ex justa causa ad hoc cogi possunt à Magistratu, seu autoritate publica ob privatam utilitatem. V. g. dominus ad vendendam partem suam, quando servus possidetur in communi à duobus, & alter eorum vult eum libertate donare, alius tenetur eum vendere pro sua parte. De Lugo, *de f. §. 7. d. 26. f. 2. num. 12.* juxta *l. 1. C. de comm. servor. manumis.* Item dominus ultra modum sapiens in servum, aut eo abutens ad turpia & illicita, publica autoritate cogitur illum vendere. De Lugo, *loc. cit.* Covar. *l. 3. var. c. 14. n. 1. 3. & 4.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. §. 5. num. 34.* Castrop. *de justit. commut. d. 5. p. 19.* Lauterb. *ad ff. h. e. §. 10. juxta §. 2. Inst. §. l. 2. ff. de iis qui sunt sui vel alter. jur.* ubi etiam horum redditur ratio; nimirum quia expedit Reipubl. ne quis sua re malè utatur. Idem ob eandem rationem extendunt de Lugo. Lauterb. *LL. cit.* item Gail. *l. 1. obs. 13. & observ. 17. per tot.* Myns. *cent. 5. observ. 8.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. r. num. 37.* item Muller. *h. r. th. 6. lit. c.* ad dominos jurisdictionales, qui supra modum sapiunt in subditos, extorquendo ab iis insolitas operas & angarias &c. ut & ipsi cogi possint ad vendendam jurisdictionem suam, saltem quò ad vitam suam. Uti hoc ipsum videri probari ex *L. unic. C. si qualicumq. prædit. potestat.* ait de Lugo. Ad hanc quoque utilitatem spectat, quòd vicinus mihi privatam viam ad agrum meum, si aliter ire non possum, vendere debeat, ut Muller. *loc. cit. th. 6. lit. a.* citato Brunnem. *in L. cum talis. C. de servit. & aqu. num. 26.* Sic quoque ob utilitatem & necessitatem publicam à Principe seu Magistratu, habente dominium altum in bona subditorum, hi compelli possunt ad vendendum justo

pretio prædia, domus, fundos v. g. ad sterpendam viam publicam, ad extruendam propugnacula & fortalitia, ut cum communi Covar. *loc. cit. num. 7.* Laym. Lug. Lauterb. *LL. cit.* ad edificandam ecclesiam, hospitale, monasterium parandum vel dilatandum cœmeterium proque scholis publicis, palatio Principis similibusque ædificiis publicis constituendis, ubi ita exigit necessitas, favor religionis (pro quo quod sit, pro bono & jure publico fieri cœnetur. Arg. *l. 1. ff. de jur. & just. 1.*) aut alia magna utilitas boni publici. De Lugo *loc. cit.* Gomez. *Tom. 2. resol. c. 2. num. 51.* Socin. *de reg. jur. fallent. 19. reg. num. 150.* Roch. *de jur. & jurepar. v. construxit.* Covar. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. num. 4.* Laym. *loc. cit.* (ubi etiam, quòd faber ferrarius scholis publicis vicinis, ratione & favore boni publici cogi possit ad domum suam vendendam, aut aliò migrandum ne professoribus molestiam aut impedimentum creet.) Lauterb. *loc. cit.* Muller. *loc. cit. lit. i.* & alii passim juxta *L. si locus. §. fin. ff. quemadmod. servit. amit. L. si quis sepulch. ff. de religio. & sumpt. fun. l. 14. §. 18. C. de oper. public.* Et hæc à fortiore, ubi venditori modicum per hoc detrimentum crearetur. Si verò notabile per hoc detrimentum ei ex tali venditione crearetur, cogendi illum ad vendendum potestatem non competere inferioribus Judicibus, sed negotium per supremum Principem decidi debere, ex Covar. *loc. cit.* ait Reiffenst. *h. r. num. 36.* quod vel maximè verum videtur, ubi ex tali venditione non adeò magna utilitas proveniret bono publico. Item ob publicam & communem necessitatem. V. g. tempore famis & inopia frumenti aliarumve victualium ad quotidianum usum necessariorum subditi compelli possunt à quocumque domino territoriali ejusve officialibus ad res istiusmodi vendendas justo pretio à Magistratu definito, sublata etiam iis omni licentià distrahendi ea extra territorium, *L. civitatum. C. ut nemini liceat.* Abb. *in c. 1. h. r. n. 6.* Laym. de Lugo. *LL. cit.* Myns. *cent. 5. obs. 7. n. 3. & 4.* Lauterb. *loc. cit.* Muller. *l. c. lit. d.* citans Perez. *in Cod. l. 10. tit. de condit. publ. borr. n. 14.* Treutl. *vol. 1. d. 28. th. 3. lit. d.* Brunn. &c. uti etiam habentes superflua tunc cogi possunt ad vendendum solis civibus aut potius his & indigenis quam exteris, si utrisque non sufficiant. Covar. *l. 3. var. c. 14. n. 2.* Laym. *loc. cit.* item addita prohibitione, ne quis plus, quam sibi suisque necessarium est, *L. civitatum.* Menoch. *conf. 277.* Abb. Laym. *LL. cit.* Item rusticolæ aliiq. in villis habitantes cogi possunt, non tantum, ut ad forum vendenda deferant, quæ ad annonam spectant, *l. 2. ff. de nund.* sed & in penuria annonæ compelli possunt, ut ad hanc vel illam civitatem veniant, ibique solis civibus egentibus vel aliis pauperibus alimenta vendant, Masquard. *de jur. mercat. l. 2. c. 1. n. 21.* Muller. *l. c.* ubi etiam, quòd nobilis copiosam annonam possidens tali tempore justius à superiore vendere, si non obtemperaverit puniti possit secundum Bartol. *ad L. annonam. de extraord. crim.* Porro compelli quoque posse clericos ad vendendas res suas in casu communis necessitatis, non quidem à Judice laico, sed à proprio suo Judice ecclesiastico, docent Pignat. *Tom. 1. consult. 476.* adducens pro hoc *declar. Cardin. in una Brundus. 7. Apr. 1641.* Laym. de Lugo *LL. cit.* qui posterior quoque addit; quòd, si non sit locus recurrendi ad Judicem ecclesiasticum, Magistratus secularis, non quidem vi jurisdictionis, sed ratione periculi triticum (idem est de aliis victualibus) extrahere, ut vendenda

vendatur. Pro quo citat Morlam in *empor. Jur. p. 1. tit. 9. qu. 1. num. 6.* Dianam *Tom. 1. tr. 2. de immunit. eccles. resol. 8.* citantem plures alios, qui etiam videri potest *Tom. 4. tr. 1. resol. 3.* ubi multis probat ecclesiastica lege seculari cogi non posse ad vendenda intra certum tempus bona immobilia. Estque ratio tam hujus posterioris quam prioris, quod in necessitate omnia debeant esse communia, ut *Gl. in can. discipulos 26. de consecrat. dist. 5.* & jure etiam divino & naturali tenetur, quisque fame laboranti succurrere juxta *can. pasce. dist. 86.* ubi tamen sermo est de fame seu necessitate extrema. Quod dictum hoc in puncto de venditione, idem intelligendum etiam de emptione. Ad hanc enim etiam invitus quis cogi potest, exigente ita bono communi, cui cum omni possibili modo prospicere tenetur Magistratus, poterit haud dubie compellere subditos etiam privatos ad emendum. Abb. Laym. *Castrop. LL. cit.* cum communi. Imperando illis, ut imminente obsidione, caritate, peste, provideant sibi de vitæ necessariis, aut etiam de instrumentis aliisque ad obsidionem sustinendam requisitis. *Mull. l. c. lit. 2. & 3.* cum communi. Ubi etiam, quod nobiles habentes jus coquendi cerevisiam non possint cogere rusticos suos ad emendam apud se cerevisiam talem qualem, quin alibi eam pro libitu suo quarere possint. De cætero quid dicendum de monopolis, vi quorum coguntur subditi apud unum emere necessaria an & quando illicita, vide apud *Castrop. tr. 33. d. 5. p. 34.*

Quest. 242. An & quis error impediat consensum ad contractum emptionis requisitum?

1. **R**esp. primò in genere: Error: cum excludat cognitionem & scientiam illius, circa quod versatur, consequenter etiam excludit voluntatem & consensum, *l. 4. §. fin. ff. si quis cautionem. l. 15. de jurisd.* adeoque impedit contractum emptionis & venditionis. Hujus generalis dicti limitationes & declarationes dabunt sequentes responsiones.

2. **R**esp. secundò in specie: Primò error contingens circa substantiam personæ, cum qua contrahitur, sicut impedit & nullos reddit contractus alios, ita & contractum emptionis. Siquidem volens contrahere & obligare se Titio, non contraxit & obligavit se Cajo, dum hunc erroneè putavit Titium, quia defuit consensus cum eo contrahendi. Secus regulariter est, dum erratur circa qualitatem personæ, ut dum venditor vendit Titio, quem putavit esse divitem & facilis solutionis qualis non est. Quod tamen fallere in contractu cum furioso, quem emptor putabat esse sanæ mentis, ait *Muller. h. t. th. 8. lit. 6.* quamvis *Lauterb. h. t. §. 107.* dicat, talem emptionem esse nullam non propter errorem emptoris, sed propter venditoris furorem, adeoque ob defectum consensûs liberi illius. Fallit tamen, dum quis certâ qualitati affixit suam voluntatem, ita ut nisi eam habeat, Titius non velit ei vendere. Quemadmodum dum dicitur de contractu matrimonii, eum non valere, dum quis internè habet hunc animum: duco te, quia puto te esse nobilem, & si non es nobilis, non duco te: tunc enim talis qualitas transit quasi in substantiam. Sed neque officit error dum est in solo nomine, modò de persona constet. Nomina enim significandarum rerum gratiâ inventa sunt, quæ si ab alio quolibet modo intelligantur, nihil interest, pro ut dicitur, *§. 29. Inst. de legat. Sec. R. P. Lemr. Jur. Can. Lib. III.*

cundò error commissus circa ipsum contractum vitiat illum. V. g. dum Titius promittit rem locandi gratiâ; Cajus verò promittit pro ea emenda pecuniam, nulla est locatio, nulla emptio. *Lauterb. §. 106. Mull. l. c. th. 9. lit. 2.* Tertio, dum error est in pretio. V. g. venditor majus, emptor minus pretium intelligit, impeditur contractus, *l. 9. ff. de contrab. empt.* *Lauterb. §. 108.* Quarto contractus emptionis nullus est propter defectum consensûs, dum error versatur circa ipsum corpus seu substantiam rei venditæ in individuo. V. gr. ego puto mihi vendi fundum A. & tu vendis mihi fundum B. *cu. l. 9. Lauterb. §. 109.* quod etiam procedere videtur, dum uterque fundus est æque bonus, & ego etiam loco fundi A. æque libenter emissem fundum B. Idem est, dum convenitur quidem de eodem corpore, erratur tamen in tota ejus materia. V. g. emitur vitrum pro gemma, acetum pro vino. *Muller. cu. th. 9. lit. 6. Lauterb. loc. cit.* qui tamen ex *Mudæ, ad tu. de contrab. empt. num. 8.* ait, distinguendum in hoc puncto inter corpus non artificiale & non artificiale; eo quod, cum in hoc potissimum spectetur artificium, non ita consideretur error circa materiam. Si verò error non sit in tota materia, sed solum in parte illius. V. gr. res vendatur pro aurea, quæ tamen est ex parte anea, subsistere adhuc emptionem juxta *l. 4. §. 14. ait Franzk. h. t. num. 52. & Lauterb. §. 111.* qui tamen addit limitationem: modò res pro aurea vendita tantum auri contineat, ut aurea dici valeat; si verò tantum æris, ut anea dici possit, non subsistere emptionem *Arg. l. 41. ff. de contrab. empt.* item *Muller. l. c. lit. 6.* aliam adjiciens limitationem: modò pretium ad æqualitatem reducatur, vel venditor tantum præstet, quanti emptoris interest, *l. 21. §. 2. ff. de act. empt.* Quintò si error versetur circa rei integritatem & deteriorationem. V. g. si ematur res, quæ putatur adhuc integra, seu in statu, qualis ante hac fuerat, cujus tamen modò plures partes integrales perierunt, emptio nulla erit, si major pars illius perierit; si verò tantum pars minor dimidiâ parte, subsistit emptio, & cogitur emptor eam retinere, pretio tamen ex arbitrio boni viri diminuto. *Struv. ad ff. tit. de contrab. empt. th. 9.* citans *Molin. tr. 2. de 7. §. 7. d. 340. n. 17.* vide etiam *Lauterb. h. t. §. 17.* ubi de venditore quàm emptore, vel etiam solo emptore, qualiter valeat venditio. Idem de re aliter deteriorata dicit *Muller. ibid. lit. 6.* unde monet, ut, si res vendenda sit in alio loco, dubiumque sit emptori num sit adhuc in eodem statu, in quo fuerat ante aliquot septimanas, an verò deteriorata, cautus sit emptor, ne simpliciter ineat contractum, sed addat hanc conditionem: si in eadem bonitate fuerit. Unde jam etiam si quis ex errore emit aut vendidit pecus morbidum, subsistit emptio, & id tantum ex pretio recuperabit emptor, quanto minoris, si vitium scivisset, emisset. Si verò venditor scienter reticuit vitium, debet præstare omnia detrimenta, quæ ex ea emptione contraxit emptor, *l. 13. ff. de act. empt.* *Muller. loc. cit. th. 10.* qui tamen etiam addit, quòd si venditor putans rem non esse vitiosam vendidit eam, asseverando non esse vitiosam, venditorem non excusandum; cum non facile debuit asseverare, quæ ignorabat, juxta *cit. l. 13. §. 3.* Sextò si error versetur circa qualitatem rei legalem, seu dependentem à jure, ob quam res non est in commercio. V. gr. quia est sacra, publica &c. contractus emptio-